



**R. P. D. Thomæ Delbene Marvbiensis, Clerici Regvlaris,
Sacrae Theologiae Professoris ... De Immvnitae, Et
Ivrisdictione Ecclesiastica**

Bene, Thomas del

Lugduni, 1674

LVI. An contrahat Tridentini excommunicationem non reseruata,
ingrediens sine licentia Superioris, sed animo habitum regularem
assumendi, & profitendi?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98676](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98676)

- 2 *Ingressus Monialium Monasterium falsam causam proponendo, & Superiorem decipiendo, contrahit non reservatam excommunicationem Pontifici.*
- 3 *Ingressus, si Superiorem non deceperit sua potestate abutentem in concedenda extra casum necessitatis licentia, si Superioris abusum novit, contrahit excommunicationem etiam Tridentini, secus est si bona fide excusetur.*
- 4 *Licentia non liberam, sed prudentia consonam voluntatem importat ad allegata per Bartolum.*
- 5 *Excommunicatio Tridentini cadit super ingrediendum absque Superioris licentia citra causam rationabilem, & manifestam concessa.*
- 6 *Licentia, utpote ab inferiore sine iusta causa concessa, est nulla, & irrita.*
- 7 *Superior concedens licentiam ingrediendi sine iusta causa non incurrit excommunicationem.*

Responderetur, & dico primò, si ingrediens proposuit Superiori bona fide causas ingressus ab eo examinandas, & Superior concessit licentiam, ingrediens nullam simpliciter excommunicationem contrahit: quia tunc licet causa ingressus reuera non sit sufficiens, ille tamen (cum eam iudicio Superioris, cuius est approbare, vel reprobare, discutendam bona fide proposuerit) non peccat; sed si quæ culpa est, illa Superioris, non ingredientis est: ergo nullam simpliciter excommunicationem contrahit.

2 Dico secundò, si ingrediens falsam causam proponendo, Superiorem decepit, non reservatam Pontifici excommunicationem contrahit, quia tunc (cum licentia sit per fraudem extorta, consequenter ratione erroris inuoluntaria) perinde est, ac si illa concessa non esset, & sic est ingredi sine licentia. Suarez tom. 4. de relig. tract. 8. lib. 1. cap. 9. num. 14. Bonac. de claus. quest. 1. punct. 4. & Lezana tom. 1. c. 25. num. 20.

3 Dico tertio, si ingrediens Superiorem non decipit, sed iste sua potestate abutens concessit extra casum necessitatis licentiam, & ingrediens Superioris abusum novit (si enim non novit, bona fide excusatur) contrahit excommunicationem etiam Tridentini. Doctores *suprà cit.* & probatur, quia (licet Tridentinum in cit. cap. 5. quando excommunicationem tulit, his solis verbis vsum sit: *Ingressi septa Monasterij nemini liceat, sine Episcopi, vel Superioris licentia in scriptis obtemperata, sub excommunicationis poena ipso facto incurrenda, ubi cum non faciat mentionem de iusta causa, sed statim subdat, Episcopum non debere illam absque causa necessaria concedere; videtur, quod excommunicatio, cum sit poenalis, non sit extendenda ad licentiam absque causa necessaria concessam*) tamen satis in his verbis, absque Superioris licentia, & in scriptis obtemperata (in quorum defectum excommunicationem statuit) explicuit Tridentinum necessitatem causæ iustæ, cum ly licentia, non liberam, sed prudentiæ consonam voluntatem importet, ut rectè dixit Bart. in l. alio, ff. de alimentis, & cibariis legatis, num. 8. Ancharan. in cap. fin. de testam. in 6. num. 10. & alij complures, quos citat, & sequitur Suar. tom. 4. de Relig. lib. 1. cap. 9. num. 14. & Menoch. lib. 1. de arbit. quest. 8. num. 45. & seqq. quod inde etiam patet, quia ideo Tridentinum licentiam in scriptis exigit, ut illa nonnisi maturè concedatur.

Confirmatur, quia Tridentinum ibi in principio dicit se innovare cap. periculoso, de statu Regular. in 6. (ubi ad hunc ingressum rationabilis, & ma-

nifesta, simul cum Superioris licentia, causa exigitur: ergo dicti Tridentini excommunicatio cadit super ingredientem absque Superioris licentia citra causam rationabilem, & manifestam concessa.

Confirmatur secundò; quia dato quod ingrediens non contrahat excommunicationem Tridentini non reservatam, contrahit tamen aliam Pontifici reservatam, ut dicitur *dub. 65.* & ratio pro nunc breviter est, quia huiusmodi licentia, utpote ab inferiore sine iusta causa concessa, est nulla & irrita, ut patet ex Motu Gregorij XIII. *Vbi gratia*, in quo Motu imponitur poena excommunicationis reservatæ, & privationis beneficiorum, & inhabilitatis in eos, qui ex facultate Episcopi, vel Superiorum, ad quos pertinet facultatem concedere, absque urgenti necessitate ingrediuntur, & in Moniales, quæ illos aliter admittere præsumunt) illamque contrahit, etiam si tempore concessionis adfuit causa iusta, si tamen tempore ingressus cessavit, ut dicitur *cit. dub. 65.* An verò excommunicationem contrahat etiam si tempore concessionis non adfuit causa iusta, adfuit autem tempore ingressus, dicitur eadem *dub. 65.*

Ceterum, an ingrediens ex causa iusta, & de Superioris licentia, sed non in scriptis obtemperata, peccet, & dictas censuras, poenæque contrahat? Dixi *dub. 7. 36. & 37.*

Item an Superior concedens licentiam ingrediendi sine iusta causa, incurrat excommunicationem? Responderetur negativè; quia huiusmodi excommunicatio nullibi expressa reperitur. Item an Superior permittens, aliquam Monialium Monasterium absque iusta causa ingredi, incurrat excommunicationem, & alias iuris poenas, patebit ex dicendis *dub. 56. & seqq. usque ad 67.*

DVBITATIO LVI.

An contrahat Tridentini excommunicationem non reservatam ingrediens sine licentia Superioris, sed animo habitum regularem assumendi, & profutendi.

SUMMARY.

- 1 *Ingressus sine licentia Superioris, sed animo habitum regularem assumendi, & profutendi, contrahit excommunicationem Tridentini non reservatam.*
- 2 *Puella sic ingredientiens stante bona fide à peccato, & à censuris in foro interno excusatur, secus est in foro externo.*

Responderetur ex dictis *cit. dub. 7. & 36.* affirmatiuè; quia ad excommunicationem non contrahendam præter causam iustam, requiritur Superioris licentia, eaque in scriptis: ergo quamvis ratione bonæ fidei (quæ reperiri solet in puellis) regulariter loquendo, à peccato, & sic à censuris, & poenis excusetur, saltem in foro interno; secus tamen in foro externo. Doctores, quos citat, & sequitur Bonacina de claus. quest. 4. punct. 1. num. 3.

DVBITA